Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2251
Quelle:
Copyright:



*chio*, qua narrat hactenus in Concilio gesta, praesertim Disputationem *super articulis Hussitarum*, in qua, ut ait, Dominus Legatus (*Julianus* Card. *Caesarin.*) *nos* (Oratores Vien.) *sibi ad latus sedere precepit, et 3ª arguendi locus mihi ad honorem vniuersitatis nõstre et 5ª M. Johanni* (Himmel) *deputatus est.* Laudat praeterea *Frisinganum* Ep. ab hospitalitate. Is est *Nicodemus Alberti* Archid. Orator, quocum *Haselbachius* et *Himmelius* eo anno circa Pascha *Vienna Basileam* moverunt.

*Fol.* 59. *Epistola Domini Juliani Card. S. Angeli per Germaniam legati.* Data est *Basileae V. Jun. Anno* 1432. ad *Eugenium* Papam, et in *Actis* memoratis a me non est reperta. Incipit: *Beatissime* &c. *Jam nunc vniuersus cognoscet orbis, an viscera paterne caritatis et zelum domus domini vestra sanctitas habeat, an missa sit ad pacem uel ad dissidium, an ad congregandum uel dispergendum* &c. Nunciat ei laetas spes in Conventu *Egrano* conceptas reconciliationis *Bohemorum*, invitat *Basileam: Si pedes nunc aliquas ecclesias uisitat, forsan huc eques posset accedere;* ostendit exemplum Praelatorum *Franciae* in Conventu *Bituricensi* concludentium, legitimum esse *Basileae* Concilium, urget omnibus argumentis et precibus, ut desistat ab eo dissolvendo, et avocandis Patribus. Perorat: *Si S. v. videret puram mentem et mundam conscientiam et integrum animum, quo talia scribo, oscularemini me ex nimia caritate et procul dubio me ut filium diligeretis. Dixi sepe et jam dico et protestor coram Deo et hominibus, quod causa eritis scismatis et infinitorum malorum, si non mutatis consilium.* Scriptum grave, et ad cugnoscendum Controversiae statum comprimis faciens legitur ad calcem *comment. Aen. Silvii de Conc. Basil.* edit. *s. l.* et *a.* f. p. 83.

*Fol.* 65. p. 2. *Hec est prima sessio concilij Basilien.* 1431. Habentur hic Articuli II. III. XIII—XVII. ut *Labb. cit. col.* 220. Accedit: *Prima vocacio Hussitarum ad parendum concilio*, quae incipit: *Compulit nos caritas christi egredi de terra nostra* &c. et habetur inter Epistolas Synodales *ibi col.* 443. Item *Avisamenta Bituricensia ibid. col.* 598. Item nota illa *Luciferi* Epistola *Vol.* super. saepe indicata et hic insignita: *Hec epistola scripta est per hussitas ut creditur tanquam a principe tenebrarum et missa sacre Romane ecclesie rectoribus.* Demum Pia quaedam de Praelatorum officiis, de Missa et indigne Communicantibus Corpori Domini.

*Fol.* 78. p. 2. *Quarta Sessio Generalis concilij Basilien.* 22. *Jun.* 1432. Decreta, sive *Articuli* III — VI. ut *Labb. cit. col.* 246. Accedit, ut ibi, *Litera commissionis Regiminis Ciuitatis Auinionem*, quae sub finem in Codice *Lecta* dicitur *in Congregatione Generali die mercurij 18. Junij* 1432.

*Fol.* 82. p. 2. *Secuntur consequenter Decreta Basilien. Conci-*